

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0842

0840

0846


0836

0851

protinus in ecclesia dominici sepulchri et templo Domini canonicos instituit regulares eisque ampla beneficia assignavit. Adduxerat etiam secum vir Deo amabilis monachos disciplinatos de claustris, qui toto itinere horis diurnis pariter et nocturnis divina illi ministabant officia. Misit etiam in Italiam et Franciam pro viris clericis et religiosis, quibus parochias divisit, et ecclesias ac monasteria construxit.

In illis diebus inventa est in parte ecclesiae sanctae resurrectionis portio una dominicae crucis, quam ob metum (**B**) gentilium fideles occultaverant, quae res magnam fidelium attulit consolationem et toti ecclesiae gloriationem. Sane, cum usque ad illos dies Jerosolymitana vacasset ecclesia, de communi omnium voluntate dominum Daybertum, virum venerabilem, Pisanum archiepiscopum, qui post captionem civitatis in terram sanctam cum multis de Italia navigio venerat, in sedem collocaverunt patriarchalem. Ordinatis itaque ecclesiis processit piissimus rex Gothfridus ad sacri regni Jerosolymitani ampliationem et assumptis fratribus suis et universo bellatorum exercitu in manu forti egressus e civitate sancta descendit in Palaestinam contra Clementem Babyloniorum regem, qui cum grandi infidelium exercitu armatorum Ascalonem civitatem inhabitabat ad insidiandum Christianis. Rex ergo Gothfridus, oppugnata civitate, ipsam cepit, et ipsum Clementem cum XXX millibus interfecit tantumque auri et argenti ibi deprehendit, quantum umquam alio loco deprehenderat, indeque cum fratribus suis mira felicitate victoriae usus et Joppen et Ramulam urbes obsedit expugnavitque, atque alias similes urbes.

Tandem autem reversus Jerosolymam rex gravissima febre correptus in lectulum incidit extremae aegritudinis; qui sentiens mortem sibi imminentem assumto salutis nostrae viatico, tamquam verus Christi confessor, viam universae carnis ingressus est sicque consummatus in brevi explevit tempora multa. Sepeliverunt autem eum fratres sui in ecclesiam dominici sepulchri, in pede rupis Calvariae, cum ingenti omnium Christianorum planctu et honore etc. De isto Gothrido intelliguntur et exponuntur quidam textus ad litteram in Apocalypsi Cap. 17. et 18. ut habet Nicolaus de Lyra, et



Ende

Anfang